



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de Ingratitudine, impietate, & scelere Cuculi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

Cor autem ueracundius de uestris meritis dicere,
 propter molestiam uestram. Tantum illud dicam,
 me libenter profiteri, non minus me uobis debere,
 quam meis parentibus. Itaq; uobis & habeo gra-
 tiam, & polliceor me, sicubi potero, re ipsa decla-
 rare animi gratitudinem, summa fide daturum o-
 peram, ut intelligatis me officio meo non defuisse.
 Scitis Deo grata esse hæc officia, quæ in hospites
 conferantur. Nam cum in mundo uniuersa ipsius
 Ecclesia exulet, postulat, ut communes exilij eru-
 mnas mutuis officijs, mutua beneuolentia leuemus
 ac mitigemus. Orabo itaq; Christum, ut uos quo-
 que defendat ac gubernet in his communibus peri-
 culis. Dixi.

ORATIO DE INGRATITVDINE

Cuculi, habita in promotione Magistrorum,
 à Decano, Magistro Ambrosio Iuter-
 bocensi, Anno

M. D. XXXVII.



Citis Adolescentes, hos cætus disci-
 plina causa institutos esse, ut con-
 ueniant huc illi, qui præ sunt Aca-
 demia, ad inspicienda iuuentutis stu-
 dia, et reliqua multitudo suo officio
 declaret, se delectari his cõgressibus, in quibus &
 s ij doctis

doctissimi homines cōueniunt, et habentur oratio-
 nes, sumptis materijs, ex magna quadam optima-
 rum artium uarietate, quæ sunt utiles uitæ ac mo-
 ribus. Ac uerò iuuenes eò decet libentius inter-
 se his pompis, quia bonæ menti nullum est iucun-
 dius spectaculum, quàm uidere tales cœtus uir-
 rum excellentium ingenijs, doctrina & uirtute.
 Nam et ipsa uirtutis pulchritudo in præstantis-
 uiris, oculos atq; animos hominum mirifice o-
 cipit. Et iuuat eos uiros intueri, qui sunt præcipua
 ornamenta Reip. An existimatis exercitum Græcorum
 cum ad Troiam quidquã spectasse libentius, quàm
 unã incedentes heros, Achillem & Aiace mē-
 telligebant enim horum uirtutem præsidio esse
 niuerso exercitui. Quare & his, qui præsentem
 academiæ, gratias ago, quod ut ueterem honestis-
 mumq; morem conseruarent, non grauatim
 accesserunt: Et reliquorum laudo officium,
 sua frequentia, uoluntatem & studium suum
 præceptores ostendunt. Et quoniam nihil magis
 decet in congressu eruditorum, quàm commemo-
 ri, aut differere de rebus bonis, et hæc dicendi
 tes mihi datæ sunt, magnopere optarim, me
 adferre orationē dignam hoc honestissimo cœtu.
 Sed est humanitatis uestre, fauere etiam melioribus
 ingenijs, præsertim cū exercitationis

Præstantis-
 morum uirorū
 cœtus iucundi

sa haec consuetudo dicendi instituta sit. Vt autem alij hoc loco interdū de artium dignitate, interdū de uirtute aliqua dicunt, ita sumā et ipse aliquid ex Philosophia. Ac uerò pars Physices nō infima, *Naturae animantium cognitio.* cognitio naturae animantiū. Nam inquisitio naturae eorū multa monstrauit remedia, deinde morū uarietas indita animantibus, monet nos, hūc mundū nō temerē, aut casu extitisse, sed à mēte aliqua aeterna ortū esse, quae impressit imagines morum etiā brutis animantibus, ut exēplis illis admoniti homines, discerent amare rectē facta, & odisse uitia. *Halcyones imagines Ecclesiae.* Quam uenusta imago est ecclesiae, halcyonum partus, quae cum in scopulis in mari nidificent, solent incubare ouis, & excludere pullos in media brama, cum quidē mare tanquā in seruiēs illis incubantibus per illud tēpus mitescit, et placidū est. Me quidē haec imago sepe admonet ecclesiae, quae perinde ut halcyones in mari, hoc est, in summis periculis uersatur. Deinde parit eo tēpore, cum tempestates solēt esse seuisimae. Fortasse autē hoc sunt foeliciores halcyones, illis mitescit mare: Ecclesiae nō tantum rationē habent Tyranni, ut placati aliquantisper cōcedant ocium pariēti. Sed tamē id quoq; fit, diuinitus aliquātisper tegit Deus Doctores, dum propagata doctrina soboles adoleſcit. Conueniunt Ecclesiae & mores halcyonum, s iij nesciunt

Cerylus.

nesciunt adulteria, & extincto coniuge, alter ma-
net cælebs, & paulò post, luctu moritur. Multum
etiam senem maritum Cerilum, ut apud Græcos
legitur, gestat humeris suis aquatum. Itaque veteres
scripserunt honesti coniugij exempla, quæ
quod quidem non displicet, sed tamen ad Eccliam
non male quadrat exemplum, quæ gestant
fouere omnibus officijs benemeritos doctores
bet. Possent aliqua multa exempla commemora-
re, in quibus apparet, diuinitus has imagines
positas esse, ut de multis magnis rebus in uitam
admoneant.

Diuina testimo-
nia in natura im-
pressa.

Ac præcipuè eo me delectat istarum rerum
imitatio, quod uideor mihi uidere testimonio di-
uinitus impressa natura, quæ ostendunt mundum
non extitisse casu, quæ quidem ita sunt illustrata
ut ueteres etiã Philosophos mouerint. Ideo
præclare inquit Aristoteles, in primo de partibus
animalium. Cùm in omnibus partibus naturæ
sit admirandum quiddam, satis apparere, naturam
non extitisse casu. Stoici etiam hoc consilio
gram definiunt, uim arte progredientem ad ge-
randum: & profitentur se in definitione ad-
artem, ut significant naturam mente quadam
gi in omnibus actionibus, quæ uelut artifices
omnium generationum & motuum in natura
bet.

benter igitur ex huiusmodi materijs sumpsi hoc loco argumentum, ut iuuenes admoniti, & ipsi hæc uestigia Dei in natura considerent. Sed uideo me in exordio longius euagatum esse quam uolebam, & si arbitror uobis quidem, qui & Philosophie & religionis amantißimi estis, non fuisse ingrati hanc commemorationem.

Historia cuculi

Nunc uenio ad argumentum, quod huc afferre præcipue constitui. De ingratitude, impietate, & scelere Cuculi dicturus sum: qui quale hominum genus representet, postea explicabo, prius enim narranda est historia. Aristoteles in nono libro de natura animalium, scribit cuculum propter timiditatem, quam in ipso insignem esse comperit, non facere proprium nidum, nec suos pullos excludere, sed deponere ouum in alieno nido, ac plerunque curruca. Hæc cum reperit ouum inter sua, simul huic etiam incubat. Deinde pullis exclusis, quia Cuculus magnitudine & uiribus superat reliquos, quidquid sedula mater tibi adfert, suppositicius iste præripit. Ita fit, ut ceteri pulli fame moriantur: Putant etiam matrem eo maiore cura hunc uouere, quia magis eum miratur & amat propter magnitudinem corporis. Interdum ipse Cuculus factus robustior, ceteros pullos deuorat,

s. iiij inter

interdum senior cuculus exorbet oua currucae: h
 deo multiplex est in hoc genere crudelitas: Postre
 mo ubi adoleuit sceleratus & impius pullus, edidit
 nefariam & plusquam tragicam catastrophem: Nisi
 currucae, qua incubante natus est, a qua magis
 assiduitate nutritus est, crudeliter lacerata denu
 rat. Hanc pro maternis beneficijs, & pro narra
 catione uicem iste ἀσος & rependit, dignus qu
 perpetua scabie notatus sit, et quem oderint, ac po
 giat reliqua aues ceu dirum portentum. Ita enim
 natura fertur illum damnasse impietatis, ut uer
 erret, sicut polluti, sine nido, & sine ulla societate,
 te, sicut apud Homerum de poena impiorum dicitur,
 ἀνέσι & ἡὲ ἀφῆκτος. Solus enim sine ulla
 societate sui generis, aut aliarum artium uagatur.
 Non igitur obscura est significatio: imago propo
 sita est in terra uolucris, ut uideamus, turpissima
 naturae similitudinem habere ingratos. Sicut in ali
 lijs foedis animalibus aliorum uitiorum similitudo
 proposita est, ut cognita turpitudine bestiae, homi
 nes magis abhorreant a similibus uitijs: ut in lupo
 inest rapacitas et crudelitas: in polipo tanta libidinis
 ut extinguatur in concubitu: Noctua piscis tauri
 rax est, ut non desinat se onerare cibo, donec rumpatur.
 Sed longum esset exempla persequi. Ad insinuat
 tutum argumentum redeo. Adflectat cuculus

ἀνέσι & ἡὲ
 ἀφῆκτος.

am Musicae laudem, quare ubi lusciniam audiuit, eò aduolat, & excitatus cantu illius, cum ea certare studet. Hinc intelligi magis potest, in quo genere hominum, ingratos significet, nempe inter eos, qui obstrepunt melioribus in dicenda sententia, in studijs Ecclesiasticis, aut alijs, quæ uitæ conducunt. Hic quæta cuculorum agmina numerari possunt, non modo si ueteres historias repetamus, sed etiam si præsentia negocia consideremus? Homero obrectabat Zoilus, ceu lusciniæ cuculus, Ciceroni Clodius, & alij multi. Habuerunt suos cuculos & heroici uiri: Scipioni obrectabat Carbo, Alcibiadi Hyperbolus. Quanquam quid opus est exempla colligere? Plena est horum quotidiana uita, sed maxime in Ecclesia: Et ad hanc, totum hoc symbolum maxime conuenit.

Cuculi cantus in Ecclesia & Rep.

Curruca Græcis est Hypolais, quæ nomen inde Curruca habet, quod humi ad saxa nidificet, talis est uera Ecclesia, spreta & abiecta in mundo. Hæc dum omnes fouere, & iuuare conatur, etiam suppositicios factus nutrit, qui cum propter hypocrisis ueniant in admirationem, facile beneficio Ecclesiæ, auctoritatem & potentiam consequuntur. Hanc adepti, deinde grassantur in ipsam matrem, eamq; dilacerant, & crudeli Tyrannide opprimunt. De inde illum feralem & infaustum sonum edunt in
 s v Ecclesia,

Arius.

Ecclesia sonant impia et pernicioſa dogmata, Ariū euexit ad honores Ecclesia Alexandrina, qui cum eſſet ſuppoſiticius foetus, poſtea Eccleſiam et

Schola.

his terrarū horribiliter diſſipauit. Quid in ſcholis accidit: quæ cum ſunt bene cōſtitutæ, pari ſunt eccleſiæ uel præcipua. Primum enim ingenia et tamina, pericula, difficultates, publicè ſuſtinentur ni doctores, propagandæ rectæ doctrinæ cauſa, inde priuatim, ut nutrices fouent infantulos, in ſumma cura, diligentia, ſedulitate, prouehunt ingenia diſcentium. Et tamē ſepe fit, ut educatus diſciſſimus inſtitutus magna fide, poſtea oblitus omnium beneficiorum, & incitatus ambitione, aut natura maleuolentia, aut inuidia, impetum faciat in præceptores, nec nocere tantum iſſis, ſed odio ipſorum bonas artes opprimere & delere conatur. An hoc cuculorum genus non uidetur odio dignum? Non enim iam uitupero homines hebetes, aut tardos, ſed ingratos, & nocendi cupidos.

Tales cuculos odiſſe, omnes à natura beneficiſſimi ſtituti debent, Et tales hic pingere uolui, ut aduerti adoleſcētes, procul eos fugiāt et execrentur. Student enim hi cuculi alijs affricare ſuam ſcedem, et inueniūt uel ſtolidos, uel malos, qui illo horrido cantu teneantur. Magnum per ſe ſe ſcelus & ingratiſſimo in qualibet re, ſed tum eſt ueritatis

Verum cucu-
scelus.

euli scelus, & parricidium, quando ad eam acce-
dit odium piæ doctrine, aut aliarum honestarum
artium, quando ingrati, hominum odio, & animi
morbo, postea rebus bonis bellum inferunt, labe-
faciunt dogmata, detrahunt de artium dignitate:
nec rara sunt exempla. Et sæpe accidit, ut cum se-
mel in preceptores incurrerint, postea rabies au-
gatur, & crescat discordia, uelut incendium: De-
inde Respub. propter horum scelus et ingrati-
tatem plectitur.

Quidã Atheniensis Orator, cum significare uel-
let, quibus modis factiosa et Tyrannica ingenia
potentiã consequantur, inquit: Serpens nisi deuo-
ret serpentes, nõ fit draco. Ita ingrati illi incensi
odio aut ambitione, persuadent sibi, hanc esse uia
ad gloriã, formidabilem fieri alijs, opprimere dis-
sentientes ui aut arte. Quanquã minus flagitiũ est
in pares, quã in benemeritos seuire, ut facit cu-
culus. Cũ igitur ingratitude nõ solũ priuatim
sit turpis et indigna homine, sed etiã sæpe Reipu.
noceat, adhortor uos Adolescentes, ut animos ue-
stros ad gratitudinem assuesciatis, ad quam nos
nõ modo inuitant natura, & homines doctissimi,
qui quasi explicantes nature iudicium, de grati-
tudine copiosissimè præcipiunt, sed etiam coele-
stia oracula uocant, quæ quidem horrendas etiam
pœnas

pœnas minantur ingratis. Sic enim scriptura inquit. Nō recedet malum à domo ingrati. Hoc dictum quæso affigite animis, & expendite, quam graues, quam durabiles pœnas minetur Deus, ait, semper h. esura mala in domo, in liberis ingratum. Quid dici tristius poterat?

Beneficium
quod à scholis
contingit.

Iã cogitate, quale sit genus beneficiorum, quod in schola bene constituta accipitis. Nihil hominibus contingere melius potest, quam recta doctrina, primum de religione, deinde de honestis uitæ officiis, de rerum natura, denique de omnibus artibus, quæ sunt uitæ utiles. Traditur autem uobis, Dei beneficio, doctrina Christiana, purè et simpliciter. Proponuntur & cæteræ honestæ discipline, nec illa pars Philosophiæ negligitur. Enarrantur optimi auctores Græci & Latini, qui aut fontes Philosophiæ continent, aut profunt ad formandam orationem. De præceptoribus ipsis non dicam, sed tamen dexteritas & prudentia in doctore dupliciter beneficium. Nam qui in docendo non adhibet rerum delectum, aut non uidet quid cuiuslibet conueniat, is sæpe ita distribuit ea quæ tradit, ut si cani paleas, a sino daret ossa, ut in prouerbio dicitur. Spero autem uobis cognitam esse fidem & prudentiam in ijs qui docent.

Proverbium.

Cum igitur tanta sit magnitudo beneficiorum,

non est obscurum, quod sit uestrum officium. Certe Deo gratiam debetis, qui his pulcherrimis meritis uitam humanam ornauit. Is uult dona sua intelligi, uult ea magni pendere à nobis, uult gratiam reddi his, per quos impertit ea humano generi. Quare cogitate quid Deo debeatis, et mentote ingratos pœnas Deo duros esse.

Philippus Macedo habebat militem, qui ei propter fortitudinē in primis charus erat, hic naufragus ad uillā cuiusdā agricolæ agrē enatauit. Agricola cum audisset militis clamorem, accurrit, eumq; rigentem frigore et penè exanimē ducit in uillā, et quibus potest officijs recreat, Post triduum cupientem abire etiā uiatico instruit. Discedens miles prolixè pollicetur se gratiā relaturū esse. Vide quid acciderit. Nam et hic miles cuculi scelus imitatus est. Narrat Philippo naufragium, beneficium hospitis tacet, et petit sibi donari illud prædium, facile impetrat à Rege liberali, præsertim cum Rex bene meritum esse iudicaret: iubet igitur induci eum in bona quæ petiuerat miles. Non tulit iniuriam agricola expulsus bonis, ab eo quem seruauerat, sed uenit ad Philippum et commemorat suum beneficium erga militem. Hic a deo exarsit ira Philippus, ut Pausania mandaret, ut priori domino prædium restitueret, militi uerò

Philippus Macedo inuisit stygmata ingrato.

Ingratis disci-
pulis cuculus
infulpendus.

uerò ex autorato stigmata inureret, inscriberetq;
fronti, hæc uerba: Hospes ingratus.

Tanta naturæ uis est, ut nemo tam ferreo animo
sit, qui audiens hæc historiã, non ualde probet in-
sistimam Philippi sententiam. Quantum autem
prodesset Reipu, hoc modo notatos esse scholasti-
cos ingratos, eos uidelicet, qui ad ingrati studium
etiã addunt impietatem, qui nocere præcepto-
bus, et ipsis studijs cupiunt. Hos oportuit stig-
matis notatos esse, quia si agnoscerentur, minus no-
re possent. Ego uerò optarim illis etiã infulpen-
culum in fronte, deuorantem suam nutricem. Si
quanquã hic cessant leges, tamen Deus tandem
stigmata inurit, quæ testatur quales fuerint. Co-
gritate igitur quãtum Deo displiceat ingrati-
tatem, quã sit indigna homine, quã inimica totius
re, quã turpis, quod diuinitus etiã puniatur
niq; quod Reipu. noceat, cum ingrati, odio homi-
num, artes etiã odisse et premere incipiunt. Hæc
si uobis sepe subijciatis, excitabitur animus ad
gratitudinẽ, et ad colendã communem tranquilli-
tatẽ. Ad hæc officia assuescendi sunt animi. Hoc
in scholis, & in his optimis studijs uersamini, ut
mores uestri fiant meliores, ut artes profuturas
ad illustrandã gloriam Dei, et ad tuendam cõmu-
nem societatem uobis paretis, non ut discatis solum
coph...

sycophanticam nocituram bonis uiris et Reipub. Aristogitonem
 Quam tetra imago est ciuis apud Demosthenē, Aristogitonem
 pud Demosthenē
 nem.
 cum pingit Aristogitonem, circumeuntem in foro,
 et uibrantem spiculum seu exertam caudam, ceu
 scorpium insidiari ciuibus, et circumspectare quem
 feriat, quē aliqua calumnia opprimat, deinde, qui
 cum nullo ciue ullius officij societatem habeat, sed
 cum illis uiuat, quos apud inferos aiunt asidere
 impijs, uidelicet, cum inuidia, furijs, et alijs pesti-
 bus. Ita describit Demosthenes Aristogitonem.
 Quid autē alienius esse debet presertim ab homi-
 ne docto, instituto ad humanitatē, et cuius mores
 et eruditio debent prodesse Reipub. cuius tota ui-
 ta debet esse *νοτιωμένη*, et plena officij, quam isto
 Aristogitonis more uiuere? qui quidem proprius
 est sycophantarum, qui irruunt in bene meritos.
 Cum autem mihi quidem impossibile sit, magni-
 tudinem huius causae equare dicendo, non uolui
 esse prolixior. Et tamen haec praeccepta interdum
 inculcanda sunt adolescentibus, et ostendendum
 quanta sit uitiorum turpitudine. Ideo haec pauca de
 ingratitude, hoc tempore collegi, quae ut boni
 consulatis oro. Est enim etiā grati animi, qualem
 cunq; operā honestam, publicae utilitatis
 causa susceptam, probare.

Dixi.

De